

Von W. Heribald Biester. d. 10th Februar 1806.

DISSERTATIONIS ACADEMICAЕ
EXPOНENTIS

T V M O R I S
HYDROPICI IN ABDOMINE
CVM FLATVLENTIA ET MOLA COMPLICATI
CASVM QVEMDAM NOTABILEM
CONTINVATIO

QVAM
EX AVCTORATE
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRO GRADV DOCTORIS
SOLLEMNITER CONSEQVENDO
DIE XXIII. IVNII C I O I O C C L X V I .
H. L. Q. S.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
PHILIPPVS DANIEL SANDRART
HALBERSTADIENSIS.

HALAE AD SALAM

T Y P I S C V R T I A N I S.

39

AVR. CORN. CELSVS.

Lib. I. Praefat.

Qui rationalem medicinam profitentur, non credunt, posse eum scire,
quomodo morbos curare conueniat, qui, vnde hi sint, ignoret.

VIRO
ORNATISSIMO
GEORGIO PHILIPPO
SANDRART

CIVI AC MERCATORI
APVD LIPSIENSES SPECTATISSIMO

PATRVELI SVO ATQVE AMICO
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA
PROSEQVENDO

HANC DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

PRO DOCUMENTO PUBLICO HONORIS

AC

AMICITIAE TESTIMONIO VERO

INTER ARDENTISSIMA VOTA

PRO PERPETVITATE SALVTIS

D. D. M.

QESERVANTISSIMVS CVLTOR

PHILIPPVS DANIEL SANDRART

HALBERSTADIENSIS.

DISSERTATIONIS ACADEMICAЕ
EXPOНENTIS
T V M O R I S
HYDROPICI IN ABDOMINE
CVM FLATVLENTIA ET MOLA COMPLICATI
CASVM QVEMDAM NOTABILEM
CONTINVATIO.

§. I.

INSTITVTI DECLARATIO.

Sancitum id iam dudum est legibusque confirmatum, vt adspirantes Doctoris dignitatem in ea disciplina, cui nomen dederunt suum, oporteat peculiari quodam specimine publico eruditionem suam prius ex cathedra academica probare, sibique iure quasi vindicare priuilegia doctoralia. Cum itaque ab hae Musarum fede discedere vitamque academicam nunc iam

A 3

finire

finire res meae me iubeant: eidem laudabili mori maiorum ego nunc quoque satisfacere conabor, dissertationem inauguralem conscripturus, eandemque publice defensurus. Nec difficile mihi esse poterat argumentum huic scopo commodum ad pertractandum inuenire; reuocata in memoriam ea fide, quam in prima mea dissertatione academica, die xxiv. Dec. a. pr. praefide *excell.* atque *exper.* D. D. NIETZKI a me publice defensa, professus eram, et quam nunc explere curabo. Ibi nimirum theoriam tradidi casus eiusdam notabilis, exponentis tumorem hydropicum in abdomine, cum flatulentia et mola complicatum; iis in aliam occasionem reseruatis, quae ad eiusdem argumenti considerationem practicam pertinebant, et quae nunc exponere animum induxi meum. Ut itaque praesens dissertatione, tamquam prioris continuatio haberi possit. Ordinem vero tractationis seruabo sequentem. Explicato nempe morbo methodum medendi accommodatam primo exponam, atque editum eius in aegrotante

tante effectum sincere indicabo; deinde de remediorum nonnullorum in casu applicatorum viribus et modo in corpore humano agendi differam; curationis denique omnimodae impedimenta enarrabo: vbiuis illis §§ dissertationis primae citatis, quae eius parti practicae, impraesentiarum exhibenda, principia spondent. Tu vero L. B. hasce meditationes meas de argumento, nunc ad disputandum proposito aequo bonoque iudicio proba!

§. II.

GENERATIM OBSERVANDA CIRCA METHOD.
MED. IN CASV PRESENTE.

Sed iam exponenda mihi nunc erit methodus medendi, accommodanda ad morbi complicationem, constantem ex tumore hydropico abdominis, eoque intensioris gradus, flatulentia ac mola (§. XVI. *diff. pr.*) *Quaecunque itaque Therapia in genere docet de morbis complicatis curandis, ea omnia in casu quoque praesente exacte esse obseruanda, quisque facili negotio perspicere potest.*

§. III.

§. III.

COLLIS. IN METHOD. MED. MORB. COMPL.
PRAESENTIA ET ABSENTIA.

Quando vero Therapeuta in statum complicatum morbi inquirit: tunc vel consensum aliquem inter duorum aut plurium morborum, qui ad complicacionem concurrunt, sublationem simultaneam intercedere deprehendet; vel potius dissensum ibidem adesse obseruabit. Atque ita *pro differentia complicationis in methodo medendi oboriri poterunt modo colligentes*, indeque *ortae exceptiones*, *regulam sanandi suppeditantes*; modo *nullae*.

§. IV.

DEFINITIONES QVAEDAM.

Non inutile igitur fore credo, hoc loco exponere definitiones nonnullorum vocabulorum therapeuticonrum, quibus vti solent, ad significandas istas differentias casuum, qui circa morborum complicationem oboriuntur (§. *anteced.*). Ea omnia nimirum phaenomena,

nomena, quae medicus in aegroto corpore nunc dis-
quiendo deprehendit, *indicantium* nomine veniunt.
Iudicium vero Medici ex his phaenomenis in aegroto
corpore deprehensis collectum, quo intellectus eius
ita instruitur, ut cognoscat, quid ipsi faciendum sit,
nominant *indicationem*. Ab indicante et indicatione
ita intellectus secernunt *indicatum*, idque vocant illud,
quod sanitatis conseruandae aut medendi gratia susci-
pere Medicus debet. Consensus vero ille, qui inter
duorum aut plurium morborum sublationem simulta-
neam intercedit *coindicantis*, seu *consentientis*; dissensus
e contraria parte *contraindicantis* seu *prohibentis* notio-
nem inuoluit. Exceptiones denique in curationibus
morborum ita factae, ut morbus maior minori, acu-
tus chronicus prius tollatur *permittentia* dicuntur. *In-
dicationes* porro diuidi solent in *primarias et secundarias*.
Priores referri solent ad morbum idiopathicum, eius-
que causam; *posterores* vero ad symptomata.

IO. DISSERT. ACAD. DE TUMOR. HYDROPO. IN ABDOM.

§. V.

INDICATIO PRIMARIA RATIONE TUMORIS
HYDROPO.

In casu nostro adeat tumor hydropicus ad paulo maiorem gradum perductus (§. XVI. *diss. pr.*), qui pro sui causa stases ac obstructiones in visceribus abdominalibus, vario modo productas, agnoscit (§§. XVIII-XXII *diss. pr.*) Primariae itaque indicationis hoc loco erit, *remedia resoluentia et euacuantia in usum vocare* (§. antec.).

§. VI.

RATIONE FLATULENTIAE.

Neque porro deficit in eodem casu nostro morbi complicati flatulentia (§. XVI. *dissert. pr.*). Vnde fit, ut intestinorum distensione ab aëre facta, illa magis reddantur debilia, et parum sufficient, illorum tono perduto, ad resistendum aëri egredienti e massis fermentantibus, quae ibidem continentur. Hinc ortus visciditatis in canali intestinali, flatulentiam magis augen-

CVM FLATVL. ET MOLA COMPLICAT. CONTINVATIO. II

augentis. Qua de causa *vſus remediorum resoluentium et euacuantium hic etiam necessarius erit.*

§. VII.

RATIONE MOLAE.

Tandem etiam ad eandem complicationem morbosam mola accedit (§. XVI. *diff. pr.*) sed multoties docuit fida obſeruatio, per sanguinis excretiones ex vtero integra frusta eiusmodi concrementorum carneorum aut membranaceorum, quae ibidem aderant fecellisse. Vnde ad molae exterminationem iuuabit largior mensum fluxus; cuius ideoque producendi cauſa iterum conuenient remedia resoluentia atque euacuantia.

§. VIII.

AN IN CASV PRAES. COINDICANTIA SINT.

Quare iam ex §§. V. VI. et VII. satis clare apparet, quod, (ob vſum nempe resoluentium et euacuantium) in praefente morbi complicati casu indicationes primariae inter ſe conſentiant, illeque ideo ſpectari debeat inſtar coindicantis, non vero contraindicantis (§. IV.).

B 2

§. IX.



§. IX.

ALIA INDICATION PRAES. COMPLICATIONE.

Sed opus etiam erit, ut methodus medendi morbo huic complicato accommodanda, praeter remedia resoluentia ac euacuantia, sibi quoque tonica vindicet. Propter variarum enim partium distensiones in corporibus hydropticis necessarias viscerum tandem atoniam oriri, ex pathologicis constat. Flatulentiam porro cum intestinorum debilitate semper esse coniunctam, eadem principia pathologica confirmant. Conueniet itaque et rationi consentaneum erit, in casu nostro roborantia remedia resoluentibus et euacuantibus vel iungere, vel separatim reliquis interponere; quo viscidum ad excretionem disponatur, et tonus partium debilitatum augeatur. Nam ita robore vasis reddito, humorum resolutionem eo facilius tunc poteris obtinere, nec non medicamentorum resoluentium effectus erit maior et efficacior. Requiritur enim ad humorum resolutionem tensio imprimis fibrarum tanti gradus,

vt

vt fluida celerius meare cogantur. Quo simul etiam efficitur, vt ad excretiones inde maiora augmenta redeant. Ut itaque respectu huius momenti hic nullam exceptionem facere possit mola (§. VII.).

§. X.

INDICATIO SECUNDAR. IN CASV PRAES. COMPL.

Quodsi vero in morbo quodam sanando symptoma simul adfuerint grauia et talia praecipue, quae functionum vitalium notabiles laesiones indicant: Therapeutae erit tunc ea omni studio auertere, reliquis etiam indicationibus ad tempus relictis (*per princip. therapeut.*) Consequens ideoque erit, *in casu nostro ad laesam respirationem potissimum esse respiciendum.* (§. XXV. *dissert. pr.*)

§. XI.

SCHOLION.

Fatendum quidem est, hancce respirationis difficultatem, sicut ea morbo ingrauescente exoritur, ac

B ;

nota-

notabiliter increvit, sublatu esse difficillimam; quia enim ab aucta abdominalis extensione dependet, facile licet concludere, illam tolli non posse, nisi immiuatur extensio. Interim tamen melius est in necessitatis casu qualemcumque ferre opem, quam aegrotantem in hisce angustiis sine solatio relinquere. Hinc decet Medicum succurrere medicamentis leuamen ad fermentibus; licet illud fuerit exiguae ac breuioris durationis. Quodsi enim ad respirationis in corpore humano necessitatem et utilitatem respicimus: quisque facili modo intelliget, omnem laborem therapeuticum irritum fore, neglecta indicatione secundaria (§. IV. et X.). Quem enim fugit, respirationem cum actione cordis, cerebri et cerebelli pertinere ad actiones sic dictas vitales, quae quia cum vita hominis omnium maxime conexae sunt, hoc nomine insigniuntur. Harum enim actionum una laesa, vita hominis pericitatur; plane vero sublata, homo vivere nequit. Quantum porro ad sanguificationem

in

in corpore humano faciat respiratio, ipse circulus sanguinis per pulmones satis superque demonstrat. Conferri huius momenti causa merentur ill. LVDWIGII *praecept.* nos*ir.* *venerandi institutiones physiolog.* §. 185.
„Sanguis nimirum, inquit, omnis ex toto corpore „redux, dum ad pulmones venit, resolutus est, inae- „quabiliter mixtus et in maiores globulos collectus, „sed ab accessu nouae lymphac, et post digestionem „noui quoque chyli affluxu, dilutus et mutatus, hinc „per totum corpus non transire et sua munia praec- „stare posset, nisi per hoc viscus celeriter quidem, sed „cum magna resistentia motus et suo modo praepa- „ratus, ad circulationem vltiorem disponeretur. „Practer sanguificationem vero alii adhuc multi sunt effectus in corpore nostro prouenientes. Quod etiam idem ill. LVDWIGIVS satis demonstrauit, „Inseruit enim, ait, in §. 444. l. c. ea digestionem per- „ficientibus organis variis, dum actionem ventriculi „et duodeni, nec non progressum alimentorum per reli-

„reliquum intestinorum canalem faciliorem reddit,
 „chylī porro confectionem, eiusque per suas vias
 „ascensum aequē, ac sanguinis per venam portarum
 „regressum, quod vtrumque a viscerum abdomina-
 „lium succussatorio motu praeципue pendet, insigni-
 „ter iuuat; tandem in nisu, in consueta v. c. vrinae
 „et fecum aluinārum excretionē, concurrit.

§. XII.

LAESAE RESPIRATIONIS RATIO HABENDA.

Cum itaque respiratio aequabilis tanti effectus
 sit in corpore humano, cum ea ad vitam, circulum
 sanguinis, secretiones et excretiones necessario requi-
 ratur: *ad symptoma itaque laesae respirationis in casu*
nostro quam maxime esse respiciendum, nullum dubium erit
 (§. XXV. *dissert. pr.*). Neglecta enim hac indicatione
 plura alia, eaque summi momenti mala prouenire
 in corporibus hydropticis res est certissima.

§. XIII.

§. XIII.

VERITAS METHOD. MED. IN CASV PRAES.

Morbi complicati casus, de quo impraesentiarum differitur, instar coindicantis considerari debet; vbi vero quilibet morbus idiopathicus laesae respirationis, tanquam symptomatis communis, rationem sufficientem in se continet (§§. VIII. X et XI.) Sed tunc necesse erit, ut ista symptomata communia in morbo complicato acerbitate increscant. (*confer. excell. atque exper. D. D. NIETZKI element. Pathol. vniuers. §. MDCLXXIII.* Vnde iam satis constare poterit *de veritate methodi medendi ad praesentem morbi complicationem adhibenda* (§§. V. -- XII.).

§. XIV.

RESOLVENTIA ENARRANTVR.

Ad explendam eam indicationem (§§. V. VI. et VII), secundum quam usus resoluentium praecipitur in curatione ipsa sequentibus usus sum indicatis. Praeci-

C

pue

pue in subsidium vocauit *tincturas alcalinas*, quas spiritu
vini alcali caustico affuso oriri, Chemia docet. Longo
enim usu inter Medicos constituit, remedia alcalina hu-
morum massam resoluere, viscidum morbosum, pitui-
tosum, tenax attenuare, et ad euacuationem disponere.
Sed in tincturis alcalinis continentur partes alcalinae.
Ergo tincturae alcalinae vi resoluente gaudeant, oport-
ebit. Hunc vero effectum fini indicationis primariae
obtinendo plane esse conformem, quisque facile videt.
Omnium vero maxime eas *tincturas alcalinas*, quae
simul *martialis indolis sunt*, ob salubriorem effectum,
hic adhibendas curauit. *Conser. b. l. differt. de Tincturae
alcal. mart. praeparat. usu med. et praerogativ. p[ro]ae aliis
tinctur. alcal. indolis*, quam a. 1760. in hac Musarum
fede, *Praef. excell. atque exper. D. D. NIETZKI publice
defendit cl. ZOTPAN.*

§. XV.

§. XV.

EIVSDEM REI CONTINVATIO.

Medicamento in paragrapho antecedente proposito iunxi sal mediae naturae, ortum ex sale tartari et aceto, quod *terrae foliatae tartari*, vel *arcani tartari*, vel *tartari regenerati* nomine insignitur, praecipue vero *huius liquorem*, qui nihil aliud est, quam huius ipsius massae solutio modo aquosa, modo spirituosa, adhibuit. Haec itaque massa salina cum in fluido aqueo aequa, ac in spirituoso solui possit, ad medicamentorum saponaceorum classem omni iure refertur. Quid itaque de medicamentorum saponaceorum effectibus in corpore humano generatim praedicari potest: idem quoque de terra foliata tartari, eiusque liquore valebit. Quum vero certum sit, medicamentis saponaceae indolis competere vim resoluentem, hanc ipsam quoque eidem attribuendam esse sequitur.

C 2

§. XVI.

§. XVI.

EIVSDEM REI CONTINVATIO.

Medicamentis praedictis (§§. XIV. et XV.) addere itidem placuit *liquorem terrae foliatae nitri martialis*, qui ex nitro per martem, in sale alcalinum conuerso, atque aceto conficitur. De quo arguento conferri meretur *dissert. de terra foliata nitri martiali eiusque liquore, quam a. 1760. Praef. excell. atque exper. D. D. NIETZKI publice defendit cl. GVT SLEFF.* Haec ipsa terra foliata nitri martialis, siue huius arcanum, eodem modo, iisdemque obseruatis regulis, quam in confectione arcani tartari paratur. Differentiam itaque inter duo haec medicamenta in sale alcalico latere, quae tantum accidentalibus quibusdam innititur, neminem chemicis principiis imbutum latere potest. Quaecunque itaque de terrae foliatae tartari eiusque liquoris effectibus in corpore humano in genere affirmari possunt: ea idem quoque de terra foliata nitri eiusque liquore, praeter alios effectus, ibidem ab hoc medi-

CVM FLATVL. ET MOLA COMPLICAT. CONTINVATIO. 21

medicamento exspectandos, atque in sequentibus explicandos, valere certum est.

§. XVII.

EIVSDEM REI CONTINVATIO.

Vltimum denique medicamentum, quod prioribus insuper accessit (§§. XIV. XV. XVI.), *tartarus fuit vitriolatus plumosus*, siue *volatilis*. Paratur hocce medicamentum ex acido vitriolico volatili atque alcali fixo. Competit vero huic sali mediae naturae vis resoluens, eaque ad eminentiorem gradum, quam tar-taro vitriolato communi. De quo argumento legi meretur *dissert. inaug. de tartaro vitriolato volatili eiusque viribus medicis, quam Praesid. illuſtr. BÜCHNERO a. 1757. publice defendit cl. CHRISTOPH. HENR. LVCAE.*

§. XVIII.

EVACVANTIVM EXPOSITIO.

Nec ea medicamenta in hoc morbo sanando neglexi,
quae seri corrupti colluuiem euacuare, et eius in corpore pro-

C 3

uentum

uentum impedire solent. Obtineri id a me curabatur produ^ctione *diuresis*; eidem porro subiuncto *vſu reme-*
diorum, quae aluum mouent, vt serum vna cum flatibus
 subtraheretur: atque hoc factum est, datis aegrotanti
 pilulis, compositis ex extractis balsamicis, gummati-
 bus resoluentibus ac purgantibus, cum sapone sub-
 actis. *Diureſi* vero promouendae satis bene *responde-*
 bant ea medicamentorum genera, quae enarrata exstant
 in §§. XIV -- XVII.

§. XIX.

EIVSDEM REI CONTINVATIO.

Diureſi eo magis augendae causa consultum esse
 iudicauī, medicamentis diureticis in §. anteced. indi-
 catis, addere *aquam iuniperi vinosam, per fermentationem*
paratam. Gaudent enim iuniperi baccae principiis
 resinosis, gummosis et oleofisis, cum tenerioribus ter-
 reis remixtis, indeque praeter virtutem resoluentem,
 carminatiuam atque roborantem, praeccipue possi-
 dent diureticam. Vid. *illuſtr. BÜCHNERI Fundament.*
 mater.

mater. med. pag. 493. Constitutius vero partibus bacarum iuniperi motu intestino, qui in fermentatione prodit, attenuatis, earumque cohaesione penitus dissoluta, atque unione noua producta: vis medicamenti longe maior producitur. Sicuti generatim satis constat inter Medicos, aquas destillatas, per fermentationem paratas, longe maiori efficacia iis pollere, quae per simplicem modo abstractionem produci solent, omissa fermentatione; quod etiam in casu praesente comprobatum fuisse deprehendidi.

§. XX.

TONICORVM DECLARATIO.

Roborantia atque *tonica*, quae secundum indicationem in §. IX. enuntiatam, in casu nostro etiam erant adhibenda, impraesentiarum *itidem allegare conueniet*. *Liquorem terrae foliatae nitri martialem*, quem antea iam ad resolutionem humorum obtainendam laudavi, *bic aeque roborandi tonumque corporis augendi causa* e multis elegi. Cum enim partes martiales in isto medi-

medicamento contentas esse variis experimentis constet; dubitari non poterit, quin ad huius medicamenti vim resoluentem (§. XVI.), tonica insuper accedat. Interponebam etiam huic medicamento, nonnunquam etiam iungebam *elixiria visceralia*, ex extractis vi roborante praeditis parata, eaque soluta maioris salubritatis causa, in aqua baccarum iuniperi, fermentationis ope producta (§. anteced.).

§. XXI.

VSVS ALIORVM INDICATOR. IN CASV PRAES.

Emmenagoga tandem, quae ad euacuationis menstruae tempus periodicum (§. VII.) in auxilium vocavi, praeter ea, quae in antecedentibus paragraphis enarrata exstant, et quae hic referri merentur, praeципue sic dictis *speciebus emmenagogis*, *succinatis* atque *myrrbatis* usus sum. *Respirationi suppressae*, quae ob maximum suffocationis periculum nonnunquam erat emendanda (§. X. et XI.), *gummi ammoniacum*, *puluis radi-*

adlicum squillae, quibus sulphur antimonii auratum interponebatur, notabile et maximum attulerunt leuamen. Tandem etiam inter hosce conatus practicos *motuum febrilium* (§. XXXI. *dissert. pr.*) iustam habui rationem.

§. XXII.

R E G I M E N V I T A E.

Verum enim vero praestantissimis medicamentis vel prudentissimus vix quicquam praestare poterit medicus; nisi debito diaetae ordine adhibito, illae res, quae exsuperando morbi impedimenta adferre possunt, sollicite remoueantur. Eam itaque vietus rationem, quae hydropicae nostrae obseruanda erat, paucis hoc loco subiungere conueniet. Cibos crafiores atque feculentos, qui flatum prouentum facere solent et difficilius digeruntur, fluidorumque lentorem adaugent, nec non omnia potulenta fermentantia, quae magnam etiam flatum vim intestinis inferunt, sollicite interdixi. Cuncta vero, quorum

D

expe-

expedita et facilis est concoctio, condita quandoque aromatibus ac seminibus carminatiuis, quae remediorum viribus haud obsunt, sed potius aliquam medicaminis virtutem obtinent, quotidie commendau. Potum eam ipsam ob causam exhibui talem, qualis ad ciborum coctionem, et ipsorum humorum craf-
tisiem diluendum requirebatur. Motum porro pla-
cidum atque moderatum corporis aegrotanti com-
mendaui; cum eo nihil est efficacius ad flatus ex-
pellendos, et ad viscerum tonum roburque restituendu.
Tandem, in quo plurimum situm est, ae-
gram ab omnibus animi pathematibus abstrahere
diligenter studui: iis enim totius corporis succos ad
debitam circulationem ineptos fieri res est certissima.

§. XXIII.

EFFECTVS APPLICATAE METHODI MEDENDI.

Sed dicendum iam erit de effectibus methodi
medendi hucusque descriptae. Prodibant nimurum
fatis

satis notabiles seri euacuationes e corpore per alui deiectiones et vrinae excretiones; has mox insequebantur tumoris in abdomine decrementa, eaque de die in diem maiora; fluxus menstruus circa tempus alias consuetum redire obseruabatur, eiusque ope coagula sanguinis atque integra frusta concrementi quasi membranacei aut carnei ex vtero educi comprehendebantur; symptomata tandem totius morbi, praecipue difficultas respirandi mirum in modum remittebant. Rebus sicce comparatis, non desunt rationes praedicendi, futurum esse, ut sub continua-
tione eiusdem methodi medendi aegrotans ista femina pristinae sanitati restitui possit.

§. XXIV.

IMPEDIMENTA CVRATIONIS.

Enimuero cum illam peregre proficiisci, caelo alieno frui, inceptamque eurationem interrumpere

D 2

opor-

18 DISSERT. ACAD. DE TUMOR. HYDROP. IN ABDOM. etc.

oporteret: fieri facile poterit, vt eius res corporis in peius iterum ruant. Nam in tanta morbi acerbitate, quanta in casu haec tenus pertractato obtinuit, natura sola sibi vix sufficiet! Ut quidem praesentem aegrotantis huius feminae conditionem ignore: ita me nunc quoque necessitate adactum esse video, ad imponendum huic dissertationi

F I N E M.



PRAENOBI LISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO

S A N D R A R T

S. P. D.

ANDREAS ELIAS BUCHNER
ORDINIS MEDICORVM SENIOR.

Quamuis in tanta rerum, quae in laudem *TVAM* cedunt, vberitate,
mea quidem commendatione meoque testimonio non indigeas, *DO-*
CTISSIME SANDRART: non possum tamen, quin breues basce-
tib*I* inscribam litteras, eo tantum animo consignandas, ut meam erga
TE mentem iis publice declarem, *TVO*que alios exemplo ad TE imitan-
dum inuitem. Atque hoc eo magis necessarium esse duco, quo plures, da-
mnoſa acui malitia abrepti, in studiis vel plane crudis, vel saltim ultra
mediocritatem non euictis, acquiescere solent, minime sine dubio perpenden-
tes, quantum aegris, quantum sibi ipsis inferant damnum. *TV* certe,
Praenobilissime SANDRART, longe alia incessisti via, cum improbo

D 3

demum



demum labore eo peruenisti, ut TE veri Medici nomine dignum quilibet iudicare queat. Quinque circiter sunt anni, quos arti salutari addiscendae dicasti, quatuor fere ei Lipsiae, unum autem Halae destinasti, in utraque tamen Academia ita TE gessisti, ut praeterlapsi temporis nunquam TE poenitere queat. Neque potuit etiam ideo aliter fieri, quin varia indefessa TVAE diligentiae testimonia ederes. Cum laude ante sex circiter mensis academicum quoddam Specimen defendisti, atque ita, cum sollemnibus TE examinibus submitteres, spei de TE conceptae satisfecisti, ut plane non dubitem fore, ut inaugurelam TVAM Dissertationem, quae prioris Speciminis continuationem sis sit, sine auxilio masculine propugnes. Faxit interea DEVS T.O.M. ut honoribus promeritis, TIBI ab Ordine nostro iam iam decretis, diu saluus et incolumis fruaris, eaque, quae meritus es, quaeque nunc TE expectant, diligentiae TVAE praemia reportes. Atque ita vale, resque TVAS semper prosperrime age. Dabam in regia Fridericiana, d. XXI. Iunii, MDCCCLVI.

PRAE-

PRAESTANTISSIMO
PHILIPPO DANIELI SANDRART

S. D.

D. ADAMVS NIETZKI.

Falleris, DOCTISSIME SANDRART, si existimes, futurum
 esse, vt ego TE nunc amplissime laudem; licet meritis TVIS
 epistola a me inscripta esse videatur. Consideratis enim ad TE lau-
 dandum argumentis: nihil inuenio, quod a me nunc dici posset, de quo
 iam non satis in vulgus constaret. Nam si nunc dicere vellem, TE
 vitam academicam ita praeclare egisse, vt laudabili exemplo multis esse
 posses; TE eruditionem TVAM publico specimine probasse, eidem-
 que nouum ita addere, vt Doctoris dignitatem iure quodam sibi acqui-
 rere videaris: quid quæso dicerem magis? nihil profecto, quam
 quod

quod nemini tam facile ignotum esse poterat. Quare nunc modo supererit, vt ea a me perficiantur, quae magis amicitiae leges postulant. Vti TIBI ex animo gratulor de Doctoris dignitate promerita, in TE propediem publice conferenda: ita etiam precor, vt haec status TVI honorifica commutatio quam copiofissime cedat in boni publici commodum, in familiae TVAE ornatissimae gudium, in TVI denique ipsius ornamentum! Atque haec iam vera est, AMICISSIME SANDRART, animi mei de TE sententia, quam iterum iterumque profitendi publice habebo occasionem exoptatissimam, a TE inuitatus ad certamen litterarum die honoribus TVIS sacro TEcum subeundum! Vale meque amare perge! Dab. in Acad. Frider. ad diem xx. Iunii ccccclxvi.

IO. CHRISTIANI KEGEL
MEDICINAE DOCTORIS

EPISTOLA GRATVATORIA,

IN QVA

STUDIVM ANATOMICVM, VTPOTE NECESSARIVM
IN MEDICINA EXPLICATVR,

AP

PRAENOBILISSIMVM, ET DOCTISSIMVM DOMINVM
DOMINVM DOCTORANDVM

PHILIPPVM DANIELEM SANDRART

HONORES ET IVRA DOCTORALIA
DISPVTACTIONE INAVGVRALI
OBTINENTEM.



PRAENOBILISSIME, DOCTISSIME QVE
D O C T O R A N D E,
 AMICE, ET FAVTOR HONORANDISSIME.

Magni fieri a magnis, coli a doctis, atque a bonis amari felicitas
 est litteratorum, praecipua eaque propemodum summa; ita me
 beatit, Amice humanissime, cum primitiarum Tuarum indigno nomini
 meo inscriptarum illustre mnemosynon tum Tuae in me exuberantis be-
 neuolentiae insigne Symbolon; publicis enim Tuis tumorem hydropticum
 in abdome cum flatulentia et mola complicatum eaque docte ac scite
 exponentibus, mihiq[ue] circa Natalitia D. N. I. C. a. p. honoratissime
 exhibitis, in pia quadam obseruantia et amore mei totum Te esse mira-
 tus obstupui, qui nihil amplius, quam latere ambio, postquam in casa
 Cleanthis vitae dies superstis transfigere constitui, sed euocas me ob
 multas causas inuitum, quem opinione Tua euehis in arte peritum,
 quamquam ne verba quidem inueniam, quibus pro impenso isthoc dedi-
 cationis honore dignas gratias referam; eas tamen, quantas hodie pos-
 sum, agere maximas admitor, dum Tibi epomidem Doctoralē capien-
 ti, praesentem epistolam, ceu primarium gratae retributionis erga Te
 meae monumentum adparo, quo contestari, simul atque docere contend-
 do, quam proficuum non modo, sed etiam toti arti salutari promouen-
 dae necessarium sit anatomiae studium, quod sane multis, iisque ampli-
 simis argumentis demonstrare, hand difficile erit; si enim physiologam

primam ac principem totius medicinae partem paulo attentius intueamur, quid, quaeſo! rationalem eius explicationem, pertractionemque faciliorem magis, ac curatius anatomiae ſtudium iuuat? olim qualitates variij generis occultae, innatae, aduentitiae, temperies, ac intemperies, magna Spirituum turba, τὸ Θεῖον, et quae alia nomina? demonstrandis corporis functionibus earumque cauſis ſufficiebant. Sed quis eorum hodie viſus? olim natura magni habebatur, et partim medici, partim philosophi ignorabant, quid ſub ea intelligerent; partim neſciebant, qua potiſſimum ratione corpori preeffet. Hodie, quid ſub eo termino intellexeris, nemo crederet, coeco impetu, abſoluto imperio, ſola potestate naturam in corpore agere: ſed omnes concedunt mechanifum, qui commoda et apta ſuppeditat instrumenta, quorum ope agens principium omnes exercet functiones. Sunt vero instrumenta talia variae nostri corporis partes, varia organa, quae vi ſtructurae ad hanc vel illam actionem ſunt idoneae. Quemadmodum autem nemo viliam machinam, quamvis artificiosiſſime ſtructam, a ſe ipſa prium moueri vidit, nec vñquam videbit: ita nullus erit, niſi forſan phyloſophicis imbutus et preeconceptus ſpeculationibus, qui machinam humanam ſe ipſam mouere poſſe, crediderit. Contra vero ſicut mouens non aliam actionem edere valeret, quam cui ipſa machina vi ſtructurae apta exiſtit, ita ridiculum foret statuere, corporis nostri agens aliter poſſe agere, quam ſtructura permittit: Animam videre, audire, guſtare, ſentire, olfacere, nemo ferme eſt, qui negauerit: neque vero videre, nec audire, nec guſtare, nec ſentire, nec olfacere poeteſt, ſi ſtructura organorum his dicatorum actionibus, quae ſunt nerui, fuerit laſa. Anima lancinantem dolorem percipere nunquam poterit, niſi fibrillae partium neruoſo-muſculofarum ſint ſpafmo conſtrictæ. Qui igiturcunque actiones nostri corporis explicare cu-

pit

pit, nonne nosse debet structuram organorum, per quae exercentur
 actiones? et hoc est, quod nos docet anatomia, quae quo accuratior est,
 eo clariorem nobis ostendit actionum ideam. Exignorata aut falso
 cognita partium structura pullularunt errores falsaeque et tam diuersae
 in physiologia hypotheses: quid? quod ex eodem fonte originem traxerint
 peruersae cognitiones causarum morbificarum, adeoque peruersae
 etiam curationes. Da inflammatione, da isto vel illo morbo laboran-
 tem, numquid in omni inflammatione stasis vel stagnationem cuiusdam
 humoris animaduertimus. Observamus autem affluxum, qui rō for-
 male inflammationis constituit. Si quis igitur esset, qui nesciret vsum
 circulationis humorum, et ordinariae et celerioris; nonne celeriorem san-
 guinis in inflammatione motum pro noxio, proque morboso pronunciarer?
 indeque formaret indicationem cohibendi istius affluxus? Sed quid inde
 fieret? nonne stasis humorum, cuius medicina est celerior circulatio,
 subsisteret, incarceraretur, in putredinem vergeret, totamque oecono-
 miam defrueret animalem. Sed plures ex ignorata corporis structura
 emergunt errores, si causas differentiarum, quae inflammations distin-
 guunt, spectemus. Cur enim inflammatio partis musculosae facile
 abit in suppurationem? contra vero, cur inflammatio partis tendinosae
 aponeurotiae, neruofiae, facile post se trahit gangraenam? et cur in-
 flammatio glandularum raro in pus, frequentius in ulcus terminatur?
 Haec explicabit, qui ex anatomia nouit, partibus musculosis multam
 inesse pinguedinem ad puris generationem necessariam; tendinas vero
 esse densiores, hinc viuido sanguinis affluxui viam praescindere, inde-
 que stagnantem portionem facile in gangraenosam corruptionem ruere;
 et glandulosas denique partes vehere tenuissimum liquorem, suppurationi
 omnino ineptum, ad saltam vicercentem vero procluem corruptionem.

E 3

Pro-

Progrederior ad morbos vterinos, quorum sunt multae differentiae, vel pro specierum quarundam varietate inter se differentes, cum quibus saepe feminae conflicantur: constat enim ex anatomicis, quod nullum praec vtero viscus graudeat tam multis vasculis sanguiferis ex hypogastricis spermaticis et haemorrhoidalibus oriundis, quae se ita extendere possunt, ut vterus valde paruu et tenuis in tantam molem accrescat sine imminutione crassitie; ita ut sanguis in magnos sinus, et cellulas anfractuosas recipi possit; vnde multi morbi sub diuersa specie et larva oriri possunt. Si nempe nimium, quam par est, sanguis in hoc viscere coaceruatur, ibique stagnat, et accidente continuo affluxu reuehi nescit. Quae vero innumerabilia commenta, frivolas imo absurdas et ficticias causas veteres ex ignorantia structurae vteri effinxerint, notissimum est. Hoc loco tantum de passione hysterica, quae sane est morbus polymorphus, aliqua verba faciam. Helmontio hic effectus audit asthma strangulans in actione ignota regiminis; itidem Paracelsi Caducus matricis; Plato in libro de natura: matricem appellat animal generandi audium, quod si hoc destituatur, aegre ferre moram, et plurimum indignari, passimque per corpus oberrans meatus spiritus intercludere, ad superiora, et usque ad ventriculum, imo fauces ascendere, et sic respirationem impedit, ac strangulationem minitari, ita ut mortuae instar decumbant. Sic fato meliori dignus Vesalius in hispania ad nobilem mulierem, quae ex hysterico strangulatu mortua credebatur, dissecandam vocatus, sed ad secundam cultri anatomici impressionem derepente ad se rediit, motu et clamore, se superstitem significans, quare infamiae et periculi evitandi causa prouincia quam citissime excedere integrum et cunctum habuit. Uterum in hoc morbo versus superiora, imo ad fauces reuera sede sua emotum ascendere posse feminae plerumque non solum ab antiquorum, sed

sed et recentiorum temporum viris graibus, et Medicis eductae opinantur: Si vero anatomiam intueamur, inuenies grauissimum esse errorem; Vterus enim firmiter binis ligamentorum paribus, uno lato et membranoso, altero magis terete, partibus ita firmiter alligatur, ut nisi summa violentia compulsus neque descendere, multo minus ascensu situm mutare potis sit: qua re perspecta futilem, anilem, et ridiculam illam opinionem dimotionis vteri localis eiusque ascensionis missam fecerunt recentiores. Ne vero limites epistolae excedant, hoc tantum adiicere volui, quod in casibus medico-forensibus, nec Practici, nec Pathologi nec Chymici nec Botanophyli, sed veri ac periti Anatomici confilio opas sit. Hinc judices sollicitare videoas Medicos anatomiam eductos, vel quando de partus vitalitate, vel de partus ablatione quaestio mouetur; et quando dubitat Iustinianus, an Caius sit impotens? an Titia sit habilis ad matrimonium? an Sempronia possit haberi virgo? vel an mulier vterum gerere sumulet, vel diffumulet? et quae sunt cetera. Nunquam vero frequentius iudicium anatomicum requiritur, quam vbi de lethaliitate vulnerum sententia iudicis ferenda est, vbi Medico inconsulto id fieri nequit; mandante nimis Imperatore Carolo: *Si quisquam, inquit, fuerit vulneratus, et abbinc mortuus, ut bujus corpus diligenter inspiciatur, vbi et quomodo vulnera fuerit inflatum? quacunq; partes fuerint laesae? exacte notentur, describantur, et iudicium abbinc formetur de letalitate, an immediate mors subsequi poterit.* Haec pauca sufficient pro demonstranda necessitate studii anatomici in medicina, quod se fatis superque sua utilitate commendat; siquidem nemo rerum medicarum adeo rudit erit, quin mecum ingenue fateatur, medicum anatomicae minus peritum, medicum agere imperfectum, qui nec morbi causam rite perspicere, multo minus eandem explorare potest. Hoc nobile laudis iter ingressus es, Praenobilissime Domine Sandrart,

qui

❧ o ❧

qui in toto annorum Tuorum academicorum decursu Te in Studio et Studio anatomico tam feliciter, quam utiliter exercuisti, ac tantum tamque solidum jecisti fundamentum, ut augustum scientiae medicae palatium Tibi aliquando superstruendum fore, optimo omne augurari queam, et nullus dubitem, quin arte Tua et Praenobili Marri, ceterisque carissimis Tuis oblectamento, et quod amplius est, multis miserrime decumbentibus vero solamini atque confugio futurus sis: Sed quid Te moror? industriae ac eruditionis laus Tuuae tam praeclaris publicisque parta documentis augure, non eget aut praecone. Igitur ad id, quod reliquum est, potissimum me moueo, Tibique hodie ad honores, et iura Doctoralia gradum facienti candide congratulor, simulatque ex animo opto, ut iis, sub fauentissimo summi Numinis afflato in seros usque annos saluus semper et incolmis fruaris, quod benignissimum Dei Numen omnia, quae suscipis, fortunata esse iubeat, ac efficiat, ut ea, quae Tuis in studiis sat multa parasti, in rempublicam redundant, commoda atque emolumenta. Ad extreum me Tuo Tuorumque perpetuo fauori et inuiolabili amicitiae aeternum commendabo, quem quoque amicitia et consuetudine Tua nil unquam praeftabilius aestimaturum esse persuasum velim, habeas; sum etenim in charitate non ficta

PRAENOBILISSIMI NOMINIS TVI

Dabam Halberstadii
die XX. Maii
M DCC LXI.

Cultor ingenuus

I. C. KEGEL.

VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
PHIL. DAN. SANDRART,

AMICO SVO PERQVAM COLEND

S. D. P.

IO. NICOL. WEISSE R,

OPPON.

Quam nuper fausto calcasti fidere, tentas
Viribus en! totis continuare viam,
Ascendens iterum cathedram, que resonat adhuc
Plausu, quem cecinit docta caterna TIBI.
Rem facis egregiam summa me iudice laude,
Nomine quae digna est, ingenioque TVO;
Praemia virtutis comites quam magna sequuntur;
Quaeque TVI studiis munera digna feret.
Maximus hinc merito circumdari iussit Apollo
Doctoris laurum tempora docta TVA.
Gratulor ergo TIBI, Mi Dilectissime SANDRART,
Ex animo, et tota gaudeo mente mea.
Perge ita ulterius. Semper TVA munera crescant;
Crescat in aeternum gloria lausque TVA.
Fata TIBI forte spondent propitia mollem.
Viue diu flospes, viue meique memor.

Dab. Halae xi. Calendarum Iunii 1596.

F

VIRO

V I R O
 NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
PHILIPPO DANIEL SANDRART
 A M I C O R V M O P T I M O
 S. P. D.
 I O. C H R I S T O P H. H E N R. K R V S E.

Quid potest esse iucundius, quid optatus, quam de amico gloriari posse,
 qui praeter amicitiam, humanitatem, morumque integritatem, solidam
 quoque ac exquisitam possidet doctrinam: T E cum igitur amicitiam ineundi,
 ab eo iam tempore desiderio flagraui, quo mihi contigit, T E in hac Musarum
 sede pernoscere. Et fortuna votis adsuit, hunc amicitiae thesaurum nancisci.
 Accipe igitur AMICE AESTIMATISSIME, coniunctionis nostrae, qua
 me condecorare voluisti, tesseram. Evidem non ego is sum, qui TVAM in
 arte

arte salutari scientiam ex merito praedicandam mihi sumam, quum opus artificem suum satis laudare nunc videatur. In eo nunc potius versabor, vt **TIBI** emensum studium academicum, summosque in Medicina honores doctorales gratuler, quos in **TE**, veluti certa maiorum praemiorum auguria Illustris Medicorum Ordo iam iam conferendos decreuit. Faxit benignissimum Numen, vt omnia **TIBI** ex voto succedant. Ast mox abibis, quo **TE** auspiciatum fidus vocat. Abi itaque felix omnique parte beatus, multis sis suasor, fautor, opitulatorque optimus. Quod supereft, viuas, opto, diu felix, et amicum **TVVM**, qui **TE** amat, amare non desistas! Vale iterumque Vale. Dabam Halae ad Salam, die **xxi. Jun. ccccclxvi.**

Halle,
Med. Diss.,
6. 1758-68.



SB

Rheo



DISSERTATIONIS ACADEMICAЕ

EXPO NENTIS

T V M O R I S
HYDROPOICI IN ABDOMINE
CVM FLATVLENTIA ET MOLA COMPLICATI
CASVM QVEMDAM NOTABILEM
CONTINVATIO

QVAM

EX AVCTORITATE
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRO GRADV DOCTORIS

SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE XXIII. IVNII CIOCCCLXVI.

H. L. Q. S.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

PHILIPPVS DANIEL SANDRART

HALBERSTADIENSIS.

HALAE AD SALAM

T Y P I S C V R T I A N I S.

